



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1863

CLXVII. Bischof Arnold von Brandenburg bestätigt eien Altarstiftung in der
St. Gotthardskirche der Altstadt Brandenburg, am 30. August 1474.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55861](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55861)

CLXVII. Bischof Arnold von Brandenburg bestätigt eine Altarstiftung in der St. Gotthartskirche der Altstadt Brandenburg, am 30. August 1474.

Vniverſis et ſingulis, quorum intereſt, intererit, vel intereſſe poterit, quomodolibet in futurum. Arnoldus, Dei et Apoſtolice ſedis gracia Epiſcopus Brandeburgenſis, ſalutem in Domino et preſentibus fidem indubiam adhibere. Venerabilis Dominus Mattheus Prenne, Canonicus Eccleſie Lubucenſis, Nobis fideliter inſinuavit, declaravit et ſufficienter informavit, quatenus de ſcitu conſenſu et licentia noſtri Predeceſſoris pie memorie Theoderici, Epiſcopi Brandeburgenſis, Capellam et inibi Altare ſub vocabulo Sancte et vivifice Crucis, qui eſt Jheſus Chriſtus, et glorioſiſſime virginis marie Matris ejus ac ſanctorum Petri et Pauli, Bartholomei, Philippi et Jacobi Apoſtolorum ac Adalberti, Fabiani, Sebaſtiani, Urbani Martjrum et Sanctarum Katherine, Barbare, Dorothee Virginum et Marie Magdalene Patronorum, In honorem Dei Omnipotentis totiusque Curie Celeſtis ſuis expenſis apud Eccleſiam Parochialem Sanctorum Matthei Apoſtoli et Godhardi Epiſcopi et Confelſoris veteris Civitatis Brandenburg ob Anime ſue et Parentum ac benefactorum omniumque ſingulorum Chriſti fidelium animarum gratiam et ſalutem erigere, edificare et conſtruere fecit ac dictis Capelle et Altari Sacre Crucis cum omnibus ad Divinum officium Miſſe celebrandum neceſſariis libris, Calice, Pacificali argenteo in forma Crucis et ymaginis Chriſti laboratum et ornamentis providit atque Cenſum Sexdecim Florenorum Renenſium de Viginti florenis, quos ipſe Dominus Matheus partim cum conſulatu et Certis Civibus dicte Veteris Civitatis ſub titulo reemptionis ut infra clarius declarabitur habuit, Pro dote omnibus melioribus modis, via, Jure, cauſa et forma quibus potuit et debuit ad Preſbiteri, Capellani Capelle predicte, Suſtentationem ex certa Scientia ac bene deliberato cum omni Jure, quod in ipſo Cenſu habuit, libere dedit, donavit, tribuit et aſſignavit. Ipſe Dominus Matheus dictam Capellam Sancte Crucis voluit eſſe Fraternalitatis Vinearum Sancti Urbani dicte Veteris Civitatis Brandenburg, Collationem vero ſive Jus Patronatus eligendi, nominandi, preſentandi ad predictam Cappellani et Altare voluit apud Magiſtros dicte Fraternalitatis Vinearum perpetuis futuris temporibus permanere. Et ut ipſi Magiſtri preſatam Capellam et liberariam deſuper, conſtructam in Curia habeant gubernando, protegendo, ordinando, diſponendo, ita ut res Capelle et Librarie libri exinde incrementum recipiant et augmententur vel ſaltem in quantum valeant conſerventur in eſſe, etiam ipſa Capella et Altare Crucis Sancte per mortem ultimi et legitimi veri Poſſeſſoris vel quovis alio modo pro tempore vacaret aut vacaverit etiam per Viam permutationis, dicti Magiſtri fraternalitatis Vinearum tunc cum conſenſu Fraternalitatis debeant ipſam Capellam et Altare vni Clerico aut Preſbitero filio Veteris Civitatis ſi haberi poterit, ſi non, tunc noue Civitatis Brandenburg, qui nullum habet Eccleſiaſticum Beneficium, et ipſum Clericum vel Preſbiterum Patentibus literis Domino Epiſcopo Brandeburgenſi vel eius in ſpiritualibus Vicario preſentare etc. etc. In Caſtro noſtro Seyezer, Brandenburg. Dioc. MCDLXXIV die penultima Menſis Auguſti.

Aus Beckmann's handschriftl. Nachlaſſe.